# DE PLINII EPISTOLIS
## QUAESTIONES CHRONOLOGICAE

**DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

**ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI**

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

**DIE XXVII M. MAII A. MDCCCIC**

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

**MAXIMILIANUS SCHULTZ** 25.
MARCHICUS

---

**ADVERSARII ERUNT**

GERHARDUS GRAEFE SEMINARII PHILOLOGICI SODALIS
GERHARDUS POSNER STUD. PHIL.
ROBERTUS SPERBER SEMINARII PHILOLOGICI SENIOR

BEROLINI
MAYER ET MUELLER
1899.

IOANNI VAHLENO

ADOLPHO KIRCHHOFFIO

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

SACRUM

In epistolis Plinii tractandis Mommsenus (Herm. III p. 31—139 Zur Lebensgeschichte des jüngeren Plinius) ita rem instituit, ut certis temporum terminis ex rerum gestarum potissimum ratione petitis definiret, quo tempore unusquisque epistolarum liber conscriptus et emissus esset. Quam viam ingressus cum vir doctissimus sibi persuasisset librum primum editum esse a. 97, alterum a. 100, tertium a. 101, quartum a. 105, quintum a. 106, sextum et septimum a. 107, octavum et nonum non ante a. 108, singulos epistolarum libros statuit ex temporum ordine sese excipere. Contra quem Petrus (Philol. XXXII 1873 p. 698—710) et Asbachius (Mus. Rhen. XXXVI 1881 p. 38—49) ita disputarunt, ut Plinium negarent in epistolis digerendis temporum rationem secutum esse. Quorum Petrus quidem id tantum egit, ut nonnullis epistolis selectis et inter se collatis probatum iret Mommseni sententiam stare non posse, Asbachius autem longius progressus, cum nova quaedam indicia scrutaretur, de temporibus epistolarum sic fere iudicavit: 'Tres priores libros, in quibus invenirentur epistolae annorum 97—104, satis probari simul esse editos. Epistolas libri quarti paucis exceptis annis 103—106 ortas, librum quintum non ante a. 109 emissum, epistolas libri V—IX annis 106—109 esse vindicandas'. Sic quoque certus quidam in serie librorum ordo apparet. Et hoc quidem recte Mommsenus demonstravit, minus recte, ut videtur, ex certis librorum terminis profectus statuit non solum ipsos libros in universum sequi temporum ordinem, sed etiam omnes quae singulis libris contineantur epistolas. Etenim inveniuntur satis multae et plures quidem in posterioribus libris epistolae, quibus sedes non ex anno quo ortae sunt data esse videatur. Quas epistolas accuratius interpretatus hoc agendum mihi

proposui, ut eas scriptas esse probarem non eo anno cui ex sui libri tempore essent attribuendae. Quoniamque eodem consilio moti Petrus et Asbachius epistolas tractarunt, ad eorum argumenta suo loco recurratur necesse erit. Sed illi, etsi nonnullis locis recte iudicasse reperiuntur, id quod disputatione quam incepturus sum evincetur, tamen saepius errarunt, cum epistolas, quae suo loco positae sunt, negarent librorum suorum terminis a Mommseno circumscriptis posse vindicari. Qui error ut magis appareat eas quoque epistolas paulo diligentius examinasse non pigebit.

Iam ut ad ipsam rem accedam, quoniam totius disputationis fundamentum ex iis peti posse videtur quae Plinius ipse de consilio colligendi atque edendi epistolas professus est, inde initium agendi faciam. In prima igitur epistola ad Septicium data et quasi prooemii loco epistolarum corpori praefixa haec Plinius scribit:

> *Frequenter hortatus es ut epistolas, si quas paulo curatius scripsissem, colligerem publicaremque. Collegi non servato temporis ordine (neque enim historiam componebam), sed ut quaeque in manus venerat. Superest ut nec te consilii nec me paeniteat obsequii. Ita enim fiet ut eas quae adhuc neglectae iacent requiram, et siquas addidero, non supprimam.*

Quae accurate expendenda sunt, ut recte ac plene, quid Plinius in suo opere egerit, diiudicemus. Nam quod scribit se Septicio hortante epistolas, quas quidem ‘paulo curatius‘ scripsisset, collegisse, epistolae ipsae, summa cura et diligentia perpolitae, facile persuadent, iam tum cum scriberentur scriptorem hoc curasse ut idoneae essent, quae aliquando collectae publici iuris fierent. Porro quae scribit se epistolas collegisse non servato temporis ordine, quoniam historiam non componeret, sed ut quaeque in manus venisset, ea ita comparata sunt, ut vix credibile videatur, Plinium in singulis epistolis digerendis suum cuique locum ex temporum rationibus assignasse: nam hoc si voluisset, cur putamus eum hoc a suo consilio alienum esse tam expresse, addita causa, pro-

fessurum fuisse: noluit certe hanc severitatem ordinis a legentibus exspectari.

De libris autem epistolarum hoc ex prima statim cognoscitur, non una omnes libros, qui hodie leguntur, a Plinio vulgatos esse: nonnullas epistolas neglectas iacere dicit, quas postea et ipsas colligi et iam editis addi posse indicat: neque vero in eo est ut finem faciat epistolas scribendi, sed parte edita eum perrexisse in hac consuetudine scribendi extrema epistola fidem facit, ut materiem edendarum epistolarum etiam postea accrevisse appareat. Itaque quaeri potest, unumne librum ediderit primum, an plures coniunctos, et si hoc, quot in unum collectos primum publicasse eum probabile sit.

Non omnes libros una edidisse Plinium etiam hoc exemplo monstratur, quo usus est Mommsenus: quae enim leguntur in ep. IX 19 *significas legisse te in quadam epistola mea iussisse Verginium Rufum inscribi sepulcro suo . . .* scripta esse apparet posteaquam liber sextus iam prodiit, in cuius epistola decima de illo Rufi iussu verba fecit Plinius.

Sed ut accuratius in eam rem inquiramus, hinc proficiscendum est, quod, quem proconsulem Baeticam provinciam per Ticinum petiturum scribit, Calestrium Tironem, VII 16 et Mediolani cum Fabato socero Plinii constitisse VII 23 (32), eundem libro IX 5 admonet ut iustitiam provincialibus cum humanitate commendare perseveret. Unde licet fortasse colligere hos tres libros VII. VIII. IX. eodem anno a Plinio simul in vulgus editos esse. Atque corpus horum trium librorum et segregandum a sex prioribus et post illos emissos publici iuris factum esse confirmatur ep. VII 28. Ibi enim Plinius a Septicio certior factus quosdam se reprehendisse, quod ex omni occasione ultra modum laudet amicos, se agnoscere crimen, amplecti etiam dicit, cum nihil putet honestius culpa benignitatis. Quos homines causam reprehendendi ex epistolis potissimum et quidem librorum I—VI petisse probabile fit has ex magna copia depromptas inspicienti: I 14; 16. II 9; 13. III 2; 3. IV 3; 15; 27. V 17; 21. VI 11; 21; 23; 26; 34.

Tenemus igitur indicium quo libros I—VI enotuisse probatur, antequam septimus liber vel corpus librorum VII, VIII, IX in lucem prodierit.

Idem quod de libris VII, VIII, IX uno fasciculo editis disputando effeci, de tribus prioribus libris Asbachius (p. 49) statuit. Sed hoc ne probetur dissuadent ea quae ex epistolis quibusdam libri III. et IV. colliguntur. Cum enim Plinius ep. III 20 ad Messium Maximum de tacitis suffragiis data se vereri scribat, 'ne procedente tempore ex ipso remedio vitia nascantur', eidemque amico epistolam IV 25 missam his verbis incipiat *scripseram tibi verendum esse ne ex tacitis suffragiis vitium aliquod exsisteret*, vix credibile est, libros III et IV diversis temporibus foras datos esse. Etenim quotiens duae quibus idem argumentum tractatur epistolae nobis occurrunt, animadvertere licet eas parvo tantum intervallo inter se discretas esse. Velim conferas epp: II 11; 12 (de causa Prisci), V 4; 13 (de Tuscilio Nominato a Vicetinis accusato), V 20. VI 5; 13 (de proconsule Vareno Rufo a Bithynis delato), VI 16; 20 (de avanculi exitu et tremore terrae in Campania facto), VII 7; 8; 15 (de Prisci et Saturnini contubernio), VII 29. VIII 6 (de inscriptione Pallantis monumenti), VIII 10; 11 (de abortu Calpurniae), IX 21; 24 (de liberto Sabiniani), IX 36; 40 (de Plinio in Tuscis aestatem et in Laurentiano hiemem exigente): quibuscum epistolis possunt comparari epp: IV 2 Attio Clementi et IV 7 Catio Lepido data de luctu Reguli; VI 6 Fundano et VI 9 Tacito scripta de Iulii Nasonis candidatu; VII 11 Fabato et VII 14 Corelliae missa de hereditariis agris illi feminae oblatis. Quodsi Plinius, de qua re ambigi non potest, epistolis sic ordinandis id egit ut lectoribus, cum ad posteriorem epistolam accederent, prior loco non nimis ab altera remota adhuc in mentibus haereret, non credibile est eum illas epistolas quae sunt de tacitis suffragiis ita loco disiuncturum fuisse, ut alteram libro tertio, alteram quarto insereret, si re vera hos libros (III et IV) variis temporibus publicasset.

Atqui forsitan haereat aliquis in eo quod epistolae VII 6; 10, quamquam ad eundem Varenum spectant de quo

epp. V 20; V 15; 13 verba fiunt, tamen ex mea ratione, qua libros VII, VIII, IX per se solos una editos esse posui, tempore ab istis epistolis (V 20; VI 5; 13) discreto in lucem prodierint. Sed epistolas libri septimi sextam et decimam si argumentum respicias paulo longius recedere ab epistolis libri quinti et sexti (V 20; VI 5; 13) ea re probatur, quod in simili argumento illae Macrino, hae datae sunt Urso amico (cf. Stobbium Philol. XXX. p. 357).

Statuimus igitur libros III et IV coniunctos prodiisse. Ac simili ratiocinatione etiam ulterius progredi licet. Nam cum Plinius ep. IV 9 Ursum certiorem faciat de causa Iulii Bassi a Bithynis accusati, idem ad eundem ep. V 20 scribat haec *iterum Bithyni: breve tempus a Iulio Basso et Rufum Varenum proconsulem detulerunt, Varenum, quem nuper adversus Bassum advocatum et postularant et acceperant* (§ 1) et paulo post (§ 2) *Varenus petiit ut sibi quoque defensionis causa evocare testes liceret*, denique epistolae VI 5 eidem Urso missae initium faciat hoc *scripseram tenuisse Varenum ut sibi evocare testes liceret* his epistolis eidem homini inscriptis et temporis et argumenti vinculo coniunctis adduci videmur, ut libros IV, V, VI uno tempore editos statuamus. Quod si verum est, ex iis quae modo de libris III et IV una evulgatis effecimus, consequitur, ut Plinium hos quattuor libros III, IV, V, VI uno corpore collectos emisissse statuamus.

Ab his quattuor libris primum et secundum separatim editos esse evinci quidem argumentandi necessitate non potest, sed tamen veri non dissimile fit propterea quod inveniuntur epistolae quae connexum quendam inter priores duos libros ostendunt: velut quod in epistola libri primi secunda Arriano scribit *quia tardiorem adventum tuum prospicio, librum quem prioribus epistolis promiseram exhibeo*, in secundi autem libri epistola undecima (§ 25) eundem amicum ita alloquitur *habes res urbanas; invicem rusticas scribe*, inde recte opinor colligetur Arrianum interea Romam non venisse, id est has epistolas ex iisdem fere temporibus originem duxisse. Eodem spectant epistolae a Mommseno anno 97 vindicatae hae: I 12 qua agitur de Corellii Rufi morte; II 1 ubi depingitur publicum

funus Verginii Rufi; II 7 qua sermo est de Vestricio Spurinna in Germania belligerante. Neque hinc secernendae sunt epistola libri primi septima, in qua Plinius versibus Homeri usus Rufo scribat haec (§ 5) *cur enim non usquequaque Homericis versibus agam tecum? quatenus tu me tuis agere non pateris, quorum . . . cupiditate ardeo . . .* et secundi decima qua rursus de eodem amico versus emittere cunctante verba fiunt. Quibus exemplis ut probatur epistolas librorum primi et secundi eodem tempore editas esse, ita non exstare videntur indicia quibus hos duos cum insequentibus quattuor temporis ratione connecti indicetur. Nam si quis haec duo corpora tamen inter se artius cohaerere ex eo colligat, quod Plinius, cum ep. II 7 de Cottio mortuo verba fecerit, ep. III 10 rursus de illo iuvene scribat, animadvertendum est epistolam libri tertii decimam non pergere exsequi, quod septima secundi coeperit, sed proferri novum quantumvis ad eundem iuvenem relatum. Itaque nihil obstabat, quominus hae duae epistolae tempore seiunctae ederentur, quippe quae etiam separatae intelligi recte possent.

Quae si probabiliter disputata sunt, consequitur, Plinium epistolarum libros in tria corpora dispositos edidisse, quorum primum libros I et II, alterum III, IV, V, VI, tertium libros VII, VIII, IX complexum erat.

De temporibus quibus singula librorum volumina edita esse videantur, de libris I et II hoc tantum dici potest, eos nisi post a. 100 non esse evulgatos (quae enim ep. II 11, 10 leguntur anno 100 scripta sunt, quo tempore Traianus tertio consulatu fungebatur cf. Mommsenum p. 39).

Certius de tempore quo alterum epistolarum corpus publicatum sit iudicare licet. Etenim ep. III 1 Plinius Calvisium certiorem facit se nuper apud Spurinnam fuisse, cuius senis vitam qui in otium recessit deinceps describit. Quodsi Spurinna a. 101, cui anno Mommsenus librum tertium vindicavit, septimum et septuagesimum aetatis annum superavit (III 1, 10), a. 97 cum Bructerum regem in regnum deduxit (de qua re ep. II 7 agitur cf. Mommsenum p. 39 sq.) annum aetatis agebat septuagesimum tertium vel quartum. Atqui

Plinius dicit III 1, 12 *ille quoque, quoad honestum fuit, obiit officia, gessit magistratus, provincias rexit* ut videatur pro honesto habuisse hominem anni septuagesimi quarti magistratibus praeesse. Quod secus esse indicio sunt quae ep. IV 23, 2 de otio Pomponii Bassi leguntur *ita senescere oportet virum qui magistratus amplissimos gesserit, exercitus rexerit totumque se rei publicae, quam diu decebat, obtulerit. Nam et prima vitae tempora et media patriae, extrema nobis impertire debemus, ut ipsae leges monent, quae maiorem annis otio reddunt.* Cum enim Pomponius Bassus *quam diu decebat* (plane gemella est oratio ep. III 1, 12 *quoad honestum fuit*) i. e. quam diu erat mediis vitae temporibus exercitus rexisse dicatur, in ep. III 1 Spurinna si quidem a. 97 tam grandi aetate res illas gesserat, dici vix poterat, *quoad honestum esset*, officia obiisse. Certe Plinium qui quid de aetate humana sentiat ep. I 12, 11 scribit *implevit quidem* (Corellius Rufus) *annum septimum et sexagesimum, quae aetas etiam robustissimis satis longa est* exspectaveris, si Spurinna, quas res II 7 narrat, tam grandi aetate gessit, hoc ibi verbo significaturum fuisse. Quod cum non fecerit, vix credibile est Spurinnam tum cum rebus bellicis praefuerit, iam septuagesimum quartum aetatis annum esse assecutum. Itaque quoniam Spurinnam a. 97 (ep. II 7) non dedecuit bellum gerere et quoniam eiusdem Spurinnae septuagesimum septimum aetatis annum agentis ep. III 1, 10 mentio fit, fieri non potest, ut ep. III 1 quattuor tantum annis post ep. II 7 scripta sit, id quod necesse est Mommsenus statuat qui totum librum tertium anno 101 vindicet. Immo nos qui hoc retinemus maius temporis spatium quam quattuor annorum inter illas duas epistolas intercessisse, quamquam de certo anno definiendo desperamus, tamen non sine probabilitate statui putamus epistolam libri tertii primam ante a. 111 vel 112 scriptam esse, quo anno Plinius legationem Bithynicam subiit, a quo veri simile est epistolas ante susceptam illam provinciam foras datas esse. Ut igitur exempli gratia epistolam III 1 anno 110 attribuamus, ex huius epistolae verbis (§ 10) *inde illi post septimum et septuagesimum annum aurium oculorum vigor*

*integer* colligatur Spurinnam a. 97 (ep. II 7) sexaginta quattuor annos natum fuisse. Qua aetate si ille regem Bructerum in regnum deduxit, incipit recte se habere quod Plinius III, 1, 12 scribit *ille quoque, quoad honestum fuit, obiit officia.*

Accedit etiam aliud quod huic opinioni opituletur. Ex ista enim descriptione vitae senilis, quae est in ep. III 1, hoc nobis percipere videmur, Spurinnam hac otiosa vita per longum iam temporis spatium frui: id quod nostra computatione nullo negotio efficitur, quo hoc assecuti sumus, ut ab anno 97, quo illum res gessisse ep. II 7 narravit, otiosa vita senis tredecim paene annis absit.

Iam si quaerimus quid maxime Plinium moverit, ut epistolam anno fere 110 scriptam conspicuo loco posuerit in fronte libri tertii, nulla potest epistola cogitari, quae aptius hunc locum in exordio novi epistolarum corporis obtinere potuerit. Vitam enim senescentis depingit Plinius, quippe quam ipse aemulari cupiat, si modo senescere sibi concessum sit: quod quantum fuerit eius desiderium, intellegitur ex verbis epistolae libri quarti vigesimae tertiae exeuntis *quando mihi licebit, quando per aetatem honestum erit imitari istud pulcherrimae quietis exemplum?* Putaverim igitur Plinium cum in eo esset ut alterum epistolarum corpus libros III, IV, V, VI complectens a. 110 ederet, epistolam III 1, quae fortasse omnium novissima erat, illi fasciculo praeposuisse.

Denique Plinium si ante susceptam provinciam, quam a. 111 vel 112 obiit, edidisse epistolas probabiliter statuimus, sequitur, secundi corporis editionem brevi tantum temporis spatio interiecto excepisse tertium.

Iam cum Plinius tribus voluminibus epistolas edidisse nobis videatur, iure disputationem, qua de singularum epistolarum temporibus agere nobis proposuimus, in tres partes distribuimus: quarum prima epistolas libri I et II, altera libri III, IV, V, VI, tertia libri VII, VIII, IX tractabimus.

Accedamus ad primam commentationis particulam cuius sunt epistolae libri primi et secundi.

## Pars I.

Initium disputandi facimus ab ep. I 7. Plinius quamquam denegat Octavio Rufo se causam Galli a Baeticis accusati esse suscepturum, tamen hac epistola promittit, se ne Baeticos quidem adiuturum esse. Iam cum Plinius sui excusandi causa haec dicat § 2 *etenim sicut fas est mihi praesertim te exigente excusare Baeticis contra unum hominem advocationem, ita nec fidei nostrae nec constantiae quam diligis convenit adesse contra provinciam, quam tot officiis, tot laboribus, tot etiam periculis meis aliquando devinxerim*, quaeritur, quonam hoc tendat quod se illam provinciam aliquando devinxisse non solum officiis et laboribus sed etiam periculis dicit. Qua in re necesse est reminiscamur Plinium a. 93 simul cum Herennio Senecione a senatu datum esse patronum Baeticis, qui tum Baebium Massam accusaverant. Asbachius vero cum neget (p. 42) ad hanc unam causam referri posse illa verba Pliniana quae sunt *tot officiis tot laboribus* ratiocinatus est ita ut diceret Plinium his verbis et illam et pro iisdem provincialibus contra Caecilium Classicum susceptam causam respexisse. Quare quoniam ep. III 9 ad Minicianum missa Plinius causam Classici describit, epistolam libri primi septimam post ep. III 9 a. 101 vel 102 scriptam esse sibi persuasit. Quam sententiam stare non posse accurata illorum verborum interpretatio docebit. Massonum quidem (C. Plinii Secundi Iunioris vita. Amstelodami 1709) Asbachius recte dixit errasse cum arbitraretur ep. I 7 de Classici causa agi. Id quod reiectaneum esse inde intelligitur quod hac epistola unius Galli nomen delatum affertur, cum in Classici causa eodem tempore complures rei essent. Si vero Asbachio damus verba illa non posse nisi Classici causa exacta intelligi, statim difficultas exoritur vocibus additis *tot etiam periculis*. Cum enim Plinius ep. III 4, qua exponit cur maxime Classici causam susceperit, (§ 7) hoc et ipsum proferat, sibi in hac causa nullum periculum timendum esse, apparet verba *tot etiam periculis* non posse pertinere nisi ad unum Massae causam. Quod si ita est, non

video, cur non idem statuamus de verbis *tot officiis, tot laboribus.* Itaque Plinius aut consulto officia in Massae causa Baeticis praestita in maius extulit, aut re vera ea eius modi erant, quibus ita gloriari posset, ut ep. I 7,2 fecit. Quod quidem facilius statuas, si respicias quae de Baeticis contra Massam a Plinio defensis ep. III 4,6 leguntur *praeterea cum recordarer quanta pro isdem Baeticis superiore advocatione etiam pericula subissem, conservandum veteris officii meritum novo videbatur. Est enim ita comparatum ut antiquiora beneficia subvertas, nisi illa posterioribus cumules.* Porro si de periculis quae hac causa Plinius subierat epistolae libri septimi trigesimae tertiae paragraphos septimam et octavam contuleris, facile opinor concedes verba quae leguntur ep. I 7,2 optime ad unam Massae causam a. 93 peractam referri posse. Accedit quod si Asbachium sequimur non apparet, cur Plinius non dixerit 'contra provinciam quam . . . iam bis devinxerim': quod eo magis exspectaveris quia hac causa addita etiam facilius Galli advocationem excusare poterat. Denique non negligendum est quod Mommsenus significavit (p. 41) Plinium in illa Massae causa agenda per longius temporis spatium occupatum fuisse.

Iam transeamus ad alterum quod Asbachius ad sententiam suam confirmandam attulit argumentum. Vult enim verba quae sunt *nec fidei nec constantiae* redire ad illud senatus consultum, quo patres Plinio praeclarissimum testimonium fidei perhibuerint, postquam Classici causam ad finem perduxerit. Sed quoniam de illo senatus consulto haec dicit ep. III 9,23 *eodem senatus consulto industria fides constantia nostra plenissimo testimonio comprobata est* mirandum videatur quod quis in his verbis *ita nec fidei nostrae nec constantiae quam diligis convenit adesse contra provinciam* de testimonio illo plenissimo cogitaverit. Certe si hoc voluisset Plinius non statim voci *constantiae* subiecisset *quam diligis.*

Immo attendendum est ubicunque de advocandi officio agatur has quae maxime deceant advocatum virtutes fidem et constantiam commemorari. Velut ep. V 13,2 *summa defensionis, non fidem sibi in advocatione sed constantiam*

*defuisse*; ep. II 9,4 *nam pater ei Erucius Clarus . . . in agendis causis exercitatus, quas summa fide, pari constantia nec verecundia minore defendit.* De fide sola ait ep. VI 18,3 *proinde Firmanis tuis ac iam potius nostris obliga fidem meam;* ep. III 4,4 *legati rursus inducti iterum me iam praesentem advocatum postulaverunt, implorantes fidem meam.* Quae si quis contulerit, intelliget ne hoc quidem nomine esse quod ep. I 7 posteriori aetati assignetur. Itaque nisi quis argutando malet scriptoris mentem in alienam sententiam detorquere, fateatur oportet, epistolam libri primi septimam suo loco positam neque post ep. III 4 i. e. post a. 100 reiiciendam esse.

Neque in ea re cum Asbachio facere possum quod eodem I 10.
loco demonstrare conatur epistolam libri primi decimam non ut Mommsenus voluit a. 97 sed a. 98 scriptam esse. Qua epistola cum Plinius sibi non licere cum Euphrate philosopho dies totos audiendo dicendoque consumere in hunc modum queratur (§ 9) *quamquam quid ego plura de viro, quo mihi frui non licet? an ut magis angor quod non licet? Nam distringor officio ut maximo sic molestissimo: sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas, scribo plurimas sed inlitteratissimas litteras: officium* quod dicit Asbachius ad praefecturam aerarii Saturni referendum censuit, quo munere Plinius inde ab a. 98 usque ad a. 101 functus est, idque ob eam causam veri simile esse putavit quia Plinius alibi paene iisdem verbis huius officii mentionem fecerit, velut Paneg. c. 91 *nondum biennium compleveramus in officio laboriosissimo et maximo, cum tu nobis . . . consulatum obtulisti.* Attamen cum Plinius non solum praefecturam aerarii Saturni, sed etiam praefecturam aerarii militaris et hanc quidem annis 95—97 obtinuerit, nihil impedit quominus hoc officium verbis illis significari existimemus: idque Mommsenus (p. 37) statuit. Porro quod Asbachius putat eius modi Plinii querellas facilius intelligi novo munere suscepto, erunt qui contrarium probabilius esse fateantur. Itaque Mommseno adsentientes hanc epistolam a. 97 ortam esse censebimus, quo anno Plinius iam per tres annos hoc munere functus est.

I 12. Tranceamus ad ep. I 12, qua Plinius Corellium Rufum inde ab iuventute gravissimo morbo affectum mortem sibi conscivisse scribit. Quem Plinius narrat, cum Domitiani temporibus ad eum in suburbano iacentem venisset, ita se allocutum esse (§ 8). *Cur me putas hos tantos dolores tam diu sustinere? ut scilicet isti latroni vel uno die supersim.* Ex iis quae deinceps insequuntur *dedisses huic animo par corpus, fecisset quod optabat. adfuit tamen deus voto; cuius ille compos ut iam securus liberque moriturus, multa illa vitae sed minora retinacula abrupit* colligitur noluisse eum Domitiano vivo vita decedere, quia de salute suorum timebat sed principe illo occiso non moratum esse, quominus 'retinacula vitae abrumperet'. Quem tenorem epistolae qui cum cura perspexerit neque neglexerit quod dolorem non iam pedes solos ut prius sed omnia membra occupasse Plinius dicit § 6, fatebitur epistolam non multo post Domitianum occisum id est post m. Sept. a. 96 ortam esse. Asbachium autem videmus longe a vero aberrasse quod Corellium a. 100 non solum superstitem sed etiam pariter cum Sex. Iulio Frontino Traiani in tertio consulato collegam fuisse opinatus est: nam ut tertium Traiani collegam mittamus, de quo nihil certi affertur (cf. Klebsium. Mus. Rhen. XXXXIV p. 274), quae de Nerva narrantur, a quo Corellius agris emendis dividendisque praefectus esse ep. VII 31 refertur et apud quem idem laudasse Plinium dicitur ep. IV 17, non impediunt, quominus Corellium post mortem Domitiani a. 97 (vel 98) vita cessisse statuamus: non magis quae de Helvidii causa a Plinio vivo Corellio acta ep. IX 13 traduntur, quae in a. 97 cadunt. Itaque ad hunc annum vel si mavis ad a. 98 epistolam I 12 auctore Mommseno referemus.

I 20. Rursus Asbachium putaverim errasse, cum de ep. I 20 in hunc modum disputat (p. 44) „*auch die im 20. Briefe § 12 hervorgehobene häufige Teilnahme an dem kaiserlichen consilium (frequenter in consilio fui), zu dem Plinius nachweislich dreimal hinzugezogen wurde* (ep. IV 22; VI 22; 31) *führt in spätere Zeit.*“ Nam quod Plinius scribit (I 20,12) *frequenter egi, frequenter iudicavi, frequenter in consilio fui* non de Traiani consilio cogitatur, in quod saepe Plinius

vocatus fuerit, sed consilium intelligitur, cui tam praetor quam praefectus urbis adhibere iuris peritos solebant. Hi dicebantur *in consilio esse, in consilium adsumi* aut *adhiberi*. Dicit igitur Plinius 'frequenter consiliarius aderam praesidi iudicii'. De eodem consilio agitur ep. I 9,2 *ille me ad signandum testamentum, ille in advocationem, ille in consilium rogavit.* Nec aliena sunt quae scribit ep. V 1,5 *adhibui in consilium duos quos tunc civitas nostra spectatissimos habuit, Corellium et Frontinum.* Quae cum ita sint, apparet Asbachium falso epistolam I 20 posteriori tempori vindicasse.

De ep. II 1 qua de publico funere Verginii Rufi a consule Cornelio Tacito laudati agitur non est quod accuratius dicamus. Etenim cum Tacitum a. 97 fasces gessisse veri simillimum sit atque Asbachius, quamquam l. l. p. 44 epistolam a. 98 attribuit, tamen postea (Röm. Kaisertum u. Verfassung bis auf Trajan. Köln 1896 p. 191. s. n. 2) contra opinionem suam ipse pugnaverit, quin epistola a. 97 orta sit nequit dubitari. cf. Klebsium l. l. p. 273—279 (das Konsulatsjahr des Tacitus) et Mommsenum p. 38. Itaque epistolam non ex temporibus collocatam esse non potest argumentis probari. II 1.

Aliter iudicandum est de ep. II 9, qua comperimus Sextum Erucium eo tempore quo scripta est Plinii suffragio pervenisse ad ius tribunatus petendi. Iam cum Plinius, postquam se eidem Sexto a Caesare latum clavum id est ordinem senatorium et quaesturam impetrasse scripsit, haec addat se, 'nisi Sextus tribunatum obtineat in senatu, vereri ne decepisse Caesarem videatur', apparet hunc Caesarem eundem esse a quo iam illos quos ante memoravit honores amico impetraverat. Quod si verum est colligitur istum Caesarem esse Traianum. Quem 27. die m. Ian. anni 98 imperium iniisse si attendimus neque negligimus tunc temporis quaestores designari solitos esse 23. die m. Ianuarii, Erucius si quidem a Traiano illo honore ornatus erat non iam a. 98 sed anno post quaestor declarari poterat. Unde quoniam sequitur eum a kal. Iun. 99 usque ad eundem mensem a. 100 quaesturae munere functum esse (cf. Mommsenum p. 82), Petrus recte monuit (p. 705) eum a. 100 nondum tribunatum petere potuisse. Cum vero II 9.

epp. II 11 et 12 quibus agitur de Afrorum causa contra Marium Priscum acta certissime m. Ian. a. 100 ortae sint (cf. Mommsenum p. 39), iam habes quod epistolam libri alterius nonam non ex tempore insertam esse epistolis cum Petro statuas.

II 13. Ad circumscribenda tempora epistolae II 13, qua Plinius pro Voconio Romano tribunatum militum a Prisco impetrare studet, maximi momenti sunt quae § 8 leguntur. Ibi quoniam haec exstant *nuper ab optimo principe trium liberorum ius impetravi, quod quamquam parce et cum delectu daret, mihi tamen, tamquam eligeret, indulsit*, quaeritur, cum de Domitiano nequeat cogitari, sitne ille optimus princeps Nerva an Traianus. Sunt qui nisi Traianum intelligi non posse dicant, quia huic potissimum principi optimi appellationem adiici soleat et Traianus re vera in epistola quadam (95) 'parce se talia beneficia dare' dixerit. Attamen si conferas quae leguntur in Paneg. c. 88 *adoptavit te optimus princeps in suum, senatus in optimi nomen* et ibidem c. 89 *quanto nunc, dive Nerva, gaudio frueris, cum vides et esse optimum et dici quem tamquam optimum elegisti . . . neque enim alio magis approbatur animi tui magnitudo, quam quod optimus ipse non timuisti eligere meliorem* concedas oportet, ep. II 13 Nervam quoque optimum principem potuisse appellari. Deinde ex Traiani verbis (ep. 7) 'se secundum institutionem principum civitatem non temere dare sibi proposuisse' licet concludere et Traianum et qui eum antecesserunt principes parce non solum civitatem verum etiam alia eius modi beneficia, quorum etiam ius est trium liberorum, tribuisse. Unde intelligitur illa quae sunt II 13,8 *quamquam parce et cum delectu daret* non minus recte referri ad Nervam.

Gravius etiam argumentum ex ep. ad Trai. 4 peti potest. Qua epistola a. 98 scripta Plinius a Traiano petit ut eundem Voconium Romanum in amplissimum, i. e. in senatorium ordinem promoveat. Cuius epistolae initium *indulgentia tua, imperator optime, quam plenissimam experior, hortatur me, ut audeam tibi etiam pro amicis obligari* aperte docet Plinium antea nondum indulgentia Traiani pro amicis usum esse. Quare si Traianus est, a quo (II 13) Plinius

Romano trium liberorum ius impetravit, necesse est ep. II 13 posterior sit ep. ad Trai. 4. Quod tamen ubi statuitur rursus non possumus non mirari, quod Plinius in ep. II 13, qua Romanum Prisco commendat, nullo verbo eum iam a se in ordinem senatorium promotum esse memoravit. Quem honorem quod Asbachius significari putat verbis quae sunt ep. II 13,9 *haec beneficia mea tueri nullo modo melius, quam ut augeam, possum*, prave videatur iudicare, quoniam illis verbis Plinius non complectitur nisi quae ante dixit officia. Itaque epistolam libri alterius decimam tertiam priorem esse dicimus epistola ad Traianum quarta, cum praesertim quod ista aetate ex tribunatu militum promoveri in senatum solebant (de qua re cf. Mommsenum, Staatsrecht 'I, 1887 p. 546), id ex isto ordine epistolarum in Romanum cecidisse appareat. Iuris autem trium liberorum Romano iam a Plinio impetrati (II 13) quod in ep. ad Traianum mentio non fit, mirum non est, si quidem ibi tantum de senatorio ordine, petito a Nerva sed concedendo a Traiano agitur. Quae cum ita sint, sic rationem concludimus, Nervam esse principem quem ius trium liberorum amico tribuisse Plinius ep. II 13 dicit. Vivone autem Nerva an iam defuncto scripta sit epistola ambigitur, et Mommsenus quidem, qui haec verba quae sunt II 13 § 8 *quod quamquam parce et cum delectu daret* vivente Nerva scribi potuisse negat, dubito, quam recte hanc vim verbo *daret* tribuerit (cf. Petrum p. 705); defuncto autem Nerva si Plinius scripsit, nonne divum principem dici exspectaveris? Itaque quoniam epistolam (II 13) Nerva adhuc florente i. e. a. 97 ortam esse iudicamus, in hac epistola rursus exemplum agnoscitur, quo ordinem singularum epistolarum non ex temporibus constitutum esse probetur.

Iam vero Asbachius inde profectus quod illum Priscum, cui data est epistola, L. Neratium Priscum esse dicit, qui a. 103 Pannoniam provinciam administraverit, epistolam ante a. 104 exaratam esse negavit. Ad eundem Priscum si et Borghesius et Mommsenus epistolam ita rettulerunt, ut eum a. 98 (vel 99) Pannoniam tenuisse existiment, Asbachius (p. 39) recte docuit de illo anno cogitari non posse ob eam

causam quod a. 98 L. Iulius Ursus Servianus provinciae praefuerit. Itaque apparet aut nostrum Priscum non eundem esse ac praefectum Pannoniae aut Neratium Priscum intelligendum ita, ut cum Asbachio de a. 103 cogitemus. Cum vero ex epistola illud tantum colligatur hunc de quo agatur Priscum tunc exercitum amplissimum rexisse atque iam per longius temporis spatium magistratu functum esse, non video, quonam iure docti de Neratio Prisco et de provincia Pannonia cogitaverint. Immo quoniam supra demonstratum est epistolam libri alterius decimam tertiam non posse scriptam esse post ep. ad Trai. 4, hoc est post a. 98, cavendum est ne argumentis extrinsecus in epistolas illatis plus tribuamus fidei quam iis quae ex ipsis epistolis effici possunt.

II 14. Epistolam libri alterius decimam quartam posteriore tempore quam quod ex Mommseni ratione efficitur (a. 97—100) ortam esse, Petrus (p. 707), quod Plinium, qui illis temporibus annos fere triginta septem vel octo natus erat, dixisse statuit se maiorem natu esse, falso opinatus est. Plinius enim cum queratur quod audaces atque obscuri adulescentuli in centumviralibus causis inreverenter et temere agant, quod prioribus temporibus longe aliter se habuisse scribit, in ea sententia haec verba posuit *at hercule ante memoriam meam — ita maiores natu solent dicere — ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producente.* Quaeritur igitur qua ratione accipienda sint illa *ita maiores natu solent dicere.* Quae Gesnerus ita interpretatur 'hoc vult: non diu est, utor enim, vir iuvenis adhuc, ea formula, qua uti solent senes, cum tempus non diu praeteritum et res nuper demum in deterius mutatas indicare volunt', cui Gierigius etsi recte hoc obiicit formulam 'ante memoriam' non fuisse senum popriam, tamen non recte orationem in hunc modum formavit 'ante memoriam meam maiores natu ibi dicere (apud centumviros agere) solebant, et ne nobilissimis quidem et q. s.' Immo verba *ita maiores natu solent dicere* interposita sunt sed ita, ut cum Heusingero referenda sint ad insequentia *ne nobilissimis quidem.* Plinius enim non tradit quae ipse viderat, sed quae a maioribus natu acceperat.

Itaque Schaeferus recte ad hunc locum adnotat 'ante memoriam meam ne nobilissimis quidem locus erat idque maiores natu — me adulescentulo — solebant dicere'. Nec dissimilis est sententia apud Ciceronem de re publica II 15 cum Manilius a Scipione quaerens verumne sit Numam Pythagorae discipulum aut certe Pythagoreum fuisse hoc addit *saepe enim hoc de maioribus natu audivimus et ita intelligimus vulgo existimari.* Poterat igitur Plinius in istum modum orationem conformare etiamsi ea quam supra diximus aetate erat. Accedit quod ex ep. II 14, 14, ubi quominus iam foro renuntiet se non solum utilitate amicorum sed etiam ratione aetatis impediri dicit, hoc apertum fit eum nondum ita processisse aetate, ut a causis apud centumviros agendis desistere sibi liceat. Quod cum ita se habeat non est quod epistolam libri alterius decimam quartam annis 97—100 ortam esse cum Petro negemus.

Postremam huius particulae liceat adiungere epistolam II 20 II 20. Plinius ut Reguli studium captandarum hereditatum illustret, postquam tria exempla attulit, inde a § 11 cum indignatione sic queritur *et hic hereditates, hic legata quasi mereatur accipit! (12)* ἀλλὰ τί διατείνομαι *in ea civitate, in qua iam pridem non minora praemia, immo maiora, nequitia et improbitas quam pudor et virtus habent?* In hunc modum eum temporibus Nervae vel Traiani loqui potuisse, cum credibile non sit, Asbachius recte demonstravit (p. 47) hanc epistolam Domitiano etiam vivente ortam esse. Idem elucet ex iis quae epistola exeunte leguntur *et habebit, si modo, ut coepit, aliena testamenta, quod est improbissimum genus falsi, ipsis quorum sunt illa dictaverit.* Nam cum Regulum post Domitianum occisum timidiorem fuisse ex ep. I 5 appareat, cuius epistolae initium hoc est *vidistine quemquam M. Regulo timidiorem, humiliorem post Domitiani mortem,* epistola II 20, qua Plinius ne iste nequissimus pergat in his nequitiis versari veretur, scripta esse nequit nisi Domitiano regnante.

Huc postquam perventum est ut quae adhuc exposuimus breviter comprehendamus, tribus epistolis quantum iudicare licet temporum connexus abruptus est: ep. II 9 post epp.

II 11 et 12 orta; ep. II 13 quamquam iam a. 97 scripta, tamen post epp. II 11 et 12 epistolis inserta; denique ep. II 20 Domitiani temporibus scripta.

Huc non quadrant epistolae quae sunt I 7; I 10; I 12; I 20; II 1; II 14. Quae quoniam terminis a Mommseno constitutis recte possunt vindicari, temporum continuitatem servare videntur.

---

## Pars II.

Altera epistolarum series complectitur epistolas libri III, IV, V, VI.

III 1. De ep. III 1 quoniam supra disputatum est, hic satis sit memorasse illi epistolae sedem ex temporum ordine non esse datam.

III 4. Non aliter iudicandum est de ep. III 4 qua Plinius copiose exponit, cur maxime Baeticorum causam contra Caecilium Classicum agendam susceperit. In qua re haec scribit § 2 *cum publicum opus mea pecunia inchoaturus in Tuscos excucurrissem accepto, ut praefectus aerarii, commeatu, legati provinciae Baeticae questuri de proconsulatu Caecilii Classici advocatum me a senatu petierunt.* In ep. autem ad Trai. 8 cum templi in municipio suo exstruendi causa a principe commeatum petat his verbis *rogo ergo ante omnia permittas mihi opus quod inchoaturus sum exornare et tua statua, deinde, ut hoc facere quam maturissime possim, indulgeas commeatum* facile intelligitur in utraque epistola de eodem opere sermonem esse. Quod si ita est, non potest fieri quin ep. III 4 qua Plinius acceptum iam commeatum indicat, posterior sit ep. ad Trai. 8, qua commeatum illum petat. Quod vero in extrema epistola III 4 scribit *audisti consilii mei motus: superest alterutra ex parte iudicium tuum* videmus eum, ubi primum ex itinere illo Romam rediit, hanc epistolam ad amicum dedisse. Qua re efficitur inter has duas epistolas, ad Trai. octavam et libri tertii quartam, breve temporis intervallum intercessisse. Sed tempus epistolae III 4 definiri non potest nisi prius ad Trai. epistolae 8 tempore constituto.

Quod ut recte fiat, pauca praemittimus de ratione, quam in epistolis ad Traianum colligendis Plinius observavit.

Omnes igitur ad Traianum epistolas in tres partes esse segregandas recte Stobbius (Philol. XXX, 1871 p. 354) admonuit. Primam partem amplectuntur epistolae quas Plinius praefectus aerarii Saturni scripsit, alteram quae tempori usque ad Bithynicam legationem vindicandae sunt, tertiam quas Plinius ex Bithynia ad Traianum quasque princeps ad illum dedit. Quarum partem postremam temporum continuitatem servare Mommsenus demonstravit (p. 57—59). Idem quadrat in alteram partem cuius sunt epp. 12, 13, 14. Atque epistolam decimam quartam a. 106 vel 107 scriptam esse Mommsenus probavit, si quidem recte victoriam illam pulcherrimam, de qua Plinius hac epistola gratulatur Traiano, eam intelligimus quam illo anno princeps de rege Decebalo reportaverat. Epistolam decimam tertiam, qua Plinius ab imperatore petit, ut dignitati suae auguratum vel septemviratum adiiciat, ad a. 103 vel 104 redire inde fit veri simile quod Plinius Iulio Frontino a. 102 vel 103 mortuo augur successit (cf. Mommsenum p. 44). Denique non sine probabilitate statuemus epistolam duodecimam ante ep. 13 scriptam esse, quippe in qua nihil insit quo haec opinio refutetur.

Restant epp. 1—11. Ac primam quidem et secundam, quarum altera Plinius Traiano statim postquam successit Nervae die 27. m. Ian. anni 98 gratulatus est, alteram inter initia felicissimi principatus se scripsisse Plinius ipse dicit, ineunte a. 98 ortas esse satis constat. Tertiam ante a. 100 scriptam esse inde intelligitur quod Marii Prisci causa, quam se recepisse hac epistola principi scribit, m. Ianuario a. 100 peracta est. Porro cum ineunte epistola haec legantur *ut primum me, domine, indulgentia vestra promovit ad praefecturam aerarii Saturni, omnibus advocationibus, quibus alioqui numquam eram promiscue functus, renuntiavi, ut toto animo delegato mihi officio vacarem* colligitur Plinium, a quo tempore praefectus aerarii Saturni factus sit i. e. inde a nono die m. Ian. anni 98 (cf. Mommsenum p. 89), Marii Prisci causam primam suscepisse. Itaque ep. ad Trai. 3 anno aut 98 aut 99 ascribenda est.

Epistola 4, de qua iam in prima disputationis parte (cf. p. 14 sq.) egimus, Plinius a Traiano petit, ut Voconium Romanum in amplissimum ordinem promoveat. In qua quae § 2 leguntur *sed hoc votum meum bonitati tuae reservatum est, quia mater Romani liberalitatem sestertii quadringenties, quod conferre se filio codicillis ad patrem tuum scriptis professa fuerat, nondum satis legitime peregerat* ex iis si Asbachius (p. 39) recte conclusit, Traiano imperium adepto perpauca reliqua fuisse quae ad Romanum promovendum opus essent, probabile fit epistolam quartam a. 98 scriptam esse. Idem de quinta certius constat. Quod ut apertum fiat initium epistolae *proximo anno, domine, gravissima valetudine usque ad periculum vitae vexatus, iatralipten adsumpsi* comparandum est cum iis quae in ep. ad Trai. 8 § 3 leguntur *sed primum mea, deinde patris tui valetudine, postea curis delegati a vobis officii retentus, nunc videor commodissime posse in rem praesentem excurrere.* Cum enim Plinius dicat se priusquam Nerva valetudine vexaretur id est a. 97 vergente aegrotasse, ex verbis quae sunt *proximo anno* necessario sequitur epistolam quintam ex anno 98 originem ducere. Eadem ep. 5 Plinius orat principem ut Harpocrati medico civitatem Romanam det condonetque iure Quiritium libertas quasdam Antoniae Maximillae. Sexta cum gratias agat quod princeps sine mora precibus suis indulserit, Harpocrati praeter civitatem Romanam Alexandrinam quoque petit, quam hic utpote Aegyptius necesse erat antea assequeretur. Septima Taianus, ut iatraliptae Alexandrinam quoque civitatem det, Plinium iubet, ex quo nomo sit Harpocras, sibi nuntiare. Iam animadversione dignum est inter epistolas 7 et 10, qua Plinius principi iatraliptam νομοῦ Μεμφίτου esse indicat, interpositas esse octavam et nonam, quibus sermo est de commeatu, quem Plinius a Traiano petit. Quod qui non occupata mente consideraverit, fatebitur harum epistolarum seriem temporum ordinem sequi quibus ortae sunt. Quintam autem quoniam a. 98 scriptam esse constat, sexta, septima, decima brevi post secutae esse videntur, veri simile est epistolas eo ordine quo hodie leguntur (5. 6. 7. 8. 9. 10.) a. 98 esse compositas. (cf. Asbachium p. 40.)

Nunc si reminiscimur eorum quae supra universe de epistolis ad Trai. statuimus, Plinium licebit affirmare in epistolis 1—10 collocandis tempora respexisse. Igitur tertiam quoque, de qua quaestionem sitne a. 98 scripta an 99 supra in medio reliquimus, eidem anno 98 vindicabimus. Eandem temporum rationem si tenemus, epistolam undecimam inter 10. et 12. tempore interiectam dicemus. Hac ratiocinandi via postquam eo pervenimus ut epistolam ad Trai. 8 ad a. 98 referendam censeamus, ex iis quae de connexu quo haec epistola cum ep. III 4 iungatur supra diximus, efficitur epistolam libri tertii quartam et ipsam a. 98 esse compositam neque eam ex temporum ordine suo libro insertam, si quidem quae illam antecedunt II 11 et 12 a. 100 scriptae sunt.

Venimus ad ep. III 9, de cuius anno natali permulta III 9.
temptata sunt a doctis. Actionem enim contra Caecilium Classicum, quam hac epistola Plinius Miniciano amico describit, ante m. Sept. a. 100 peractam esse Massonus et postea Stobbius (l. l. p. 371) censuerunt, Mommsenus (p. 42) et Guilelmus Gemoll (de temporum ratione in Plinii epistolarum IX libris observata. Hal. Sax. 1872 diss.) eam anno 101 vindicarunt. Tertiam opinionem illud factum esse iam a. 99 Petrus (p. 706) et Asbachius (p. 41) protulerunt. Nobis qui tempus quo causa illa acta sit accuratius definiri posse negemus, satis sit argumenta quibus docti usi sunt recognovisse. Ac Stobbius quidem falso (p. 348) profectus est inde quod statuit Caecilium Classicum et Marium Priscum provinciis praefuisse ab a. 98 usque ad cal. Iun. a. 99. Nam cum ex ep. ad Trai. 8 recte collegisse nobis videamur, Plinium a. 98 causam Classici suscepisse, hoc certo efficitur illos duos viros annis 97/98 provincias gubernasse. Deinde quod Mommsenus (p. 42) ex iis quae Plinius ep. III 4, 8 scribit *computabam si munere hoc iam tertio fungerer* (Classici causam dicit) *faciliorem mihi excusationem fore* collegit Classici causam *tertiam* appellari quippe quam post Baebii Massae et Marii Prisci actiones a d f i n e m p e r d u c t a s susceperit, haec ratiocinatio corruit si quidem epistolam libri tertii quartam a. 98 scriptam esse recte docuimus. Etenim quoniam Prisci actionem m. Ian.

anni 100 peractam esse constat (cf. Stobbium p. 364), ex istis verbis (III 4, 8) hoc tantum colligitur, Plinium post Prisci causam susceptam sed non iam peractam Baeticis contra Classicum datum esse patronum. Neque ei argumento multum tribuendum est quod Petrus Classici actionem priorem Prisci fuisse eo probare studuit, quod Plinius ep. VI 29, § 8 et 9 Prisci post Classicum mentionem fecit. Etenim quoniam illa epistola non agitur de tempore, quo singulae causae actae sint, sed tantum quaeritur quaenam causae potissimum sint suscipiendae, non erat quod Plinius causas ex temporum ratione memoraret (cf. Mommsenum p. 42).

Gravius argumentum Asbachius (p. 41) petiisse videtur ex Paneg. capite 95 ubi haec leguntur *vobis, patres conscripti, quantum debeam publicis etiam monumentis continetur. Vos mihi in tribunatu quietis, in praetura modestiae, vos in istis officiis etiam quae e studiis nostris circa tuendos socios iniunxeratis, cuncti constantiae antiquissimum testimonium perhibuistis. Vos proxime destinationem consulatus mei his acclamationibus approbavistis et q. s.* Ubi cum Plinius *antiquissimum testimonium* id significare videatur, quod senatus Classici causa peracta ei perhibuerit (cf. ep. III 9,23 *eodem senatus consulto industria fides constantia nostra plenissimo testimonio comprobata est)* Asbachius conclusit illam actionem actam esse antequam Plinius consul designaretur, id est ante diem nonum m. Ian. anni 100. Quae opinio stare non potest nisi statuas Plinium in Paneg. res ex temporum ordine enarrasse: tribunatum, praeturam, officia sociis praestita, destinationem consulatus. Cum vero verba quae sunt *vos in istis officiis etiam quae e studiis nostris circa tuendos socios iniunxeratis* non solum ad Classici sed etiam ad Prisci causam necessario referenda sint, post quam medio m. Ian. a. 100 peractam Plinium rursus a senatu honorificentissime laudatum esse ex ep. II 11, 19 colligitur (*in fine sententiae adiecit* — sc. Cornutus Tertullus, consul designatus — *quod ego et Tacitus iniuncta advocatione diligenter et fortiter functi essemus, arbitrari senatum ita nos fecisse, ut dignum mandatis partibus fuerit)*, consectarium fit, illo loco in rebus enarrandis temporum rationem non teneri.

Sed quamquam non illud cum Asbachio ex Panegyrico colligimus Plinium iam a. 99 accusatione contra Classicum defunctum esse, tamen inde hoc probatum est causam ad finem perductam esse antequam Plinius consul principi gratias egit i. e. ante cal. Iul. vel Sept. a. 100. Nam etiamsi de scriptura quae sit Panegyrici loci ambigitur, vel haec *vos in istis officiis constantiae antiquissimum testimonium perhibuistis* scripta esse apparet postquam Plinii constantia in Classici actione praestita plenissimo testimonio comprobata est (III 9, 23).

Denique quod Plinius ep. III 9 Prisci et Classici causas inter se opponit, ne id quidem ita comparatum est ut ex altera actione de altera quicquam concludatur. Quae argumenta omnia cum tam dubia sint, ep. III 9 diiudicandae quaestioni, collegeritne Plinius epistolas ex ordine quo scriptae sint necne, inservire non potest.

Aliter iudicandum est de ep. III 10. Proficiscimur ab III 10.
ep. II 7, qua Plinius Macrino nuntiat Vestricio Spurinnae, qui Bructerum regem vi et armis deduxerat in regnum, principe auctore triumphalem statuam esse decretam. Spurinnam illas res a. 97 gessisse Mommsenus (p. 39) docuit. Ex eadem epistola comperimus Cottio, Spurinnae filio, quem absens pater amiserat, honorem statuae habitum esse. Itaque concludimus filium eodem anno h. e. a. 97 mortuum esse. Ep. III 10 cum parentibus Cottii Plinius communicat se libellum de filio composuisse, sed eius libelli, cum proxime festis diebus apud Spurinnam fuerit, consulto ne revocaret parentibus luctum mentionem non fecisse. Plinium autem recenti dolore ad libellum de vita iuvenis componendum accessisse, haec verba (§§ 5, 6) indicant *quod superest, rogo ut pari simplicitate, siqua existimabitis addenda commutanda omittenda, indicetis mihi. Difficile est hucusque intendere animum in dolore, difficile* qua re cavendum est ne epistolam III 10 a Cottii morte nimio intervallo discernamus. Id quod fieri apparet, si epistolam a. 101, cui anno Mommsenus librum tertium vindicavit, h. e. quattuor annis post ep. II 7 sive quattuor annis post Cottii mortem ortam esse statuamus. Itaque probabile est in collocanda ep. III 10 temporis rationem non esse habitam.

IV 11. Ep. IV 11 (si Mommsenum sequimur a. 102—105 orta) Plinius Miniciano recentem nuntium dat Valerium Licinianum, cui Domitiani temporibus aqua et igni interdictum erat, in Sicilia profiteri rhetoricam. Cui Liciniano cum Domitianus permisisset, ut siqua vellet ex rebus suis raperet antequam bona publicarentur (§ 13), veri simile est eum vitam, ut exsulem aliquamdiu satis commode degere potuisse. Sed cum Nervae clementia 'in Siciliam translatus' iam non haberet unde viveret profiteri coactus est. Quae si tenemus intelligitur Petrum (p. 707) non recte iudicasse epistolam priorem esse annis 102—105 cum ita diceret: '*Erst 6 Jahre sollte Licinianus nach seiner halben Begnadigung durch Nerva versucht haben, Mitleid zu erwecken?*' Immo non misericordiae movendae causa Licinianus sed necessitate coactus postremo ad rhetoricam profitendam accessit: ut non sit quod epistolam negemus annis 102—105 scriptam esse.

IV 15. Epistolam libri quarti decimam quintam, a. Mommseno anno 104 vindicatam, Petrus a. 106 ortam esse suspicatus est propterea quod Fundanus, cui Plinius hac epistola in proximum annum consulatum ominatur, a. 107 fasces gessit. Plinium enim pluris fecisse Fundanum quam ut haec ita publici iuris fieri pateretur. Sed si recte statuimus libros III, IV, V, VI simul a. 110 vulgatos esse, nihil incommodi nascitur ex istis quae de amici consulatu ominatus est Plinius, quoniam ea non plane irrita ceciderant sed si non proximo anno, tamen biennio post et certe ante editos libros Fundanus consul factus est.

IV 19. De ep. IV 19 ut aliquid statuatur proficiscimur ab eiusdem libri epistola prima. Qua Plinius, cum polliceatur Fabato Comensi, tertiae uxoris avo, se proxime prosocerum atque Calpurniam Hispullam, uxoris amitam, esse visurum, unam brevem moram esse addit, quia sibi ut templum Tiferni Tiberini pecunia sua exstructum dedicet in Tuscos deflectendum sit. Iam si verba quae scribit (§ 2) *nam invicem nos incredibili quodam desiderio vestri tenemur, quod non ultra differemus; atque adeo iam sarcinulas alligamus festinaturi, quantum itineris ratio permiserit* recte interpretamur, fatendum

est Plinium brevi post epistolam scriptam re vera Fabatum cum uxore visitasse, cum praesertim § 5 testetur dedicationem templi longius differre esse irreligiosum. His praemissis accedimus ad ep. IV 19, qua Plinius Hispullae, cuius manibus Calpurnia uxor educata est, describit quantam laetitiam cotidie ex hoc matrimonio capiat. Ibi cum haec legantur (§ 8) *certatim ergo tibi gratias agimus, ego quod illam mihi, illa quod me sibi dederis, quasi invicem elegeris* facile sentitur Plinium hac epistola primum aliquid de Calpurnia uxore ad Hispullam scripsisse. Quod eo confidentius asseverare licet quia Plinius ineunte epistola, cur Hispullae potissimum de uxoris virtutibus scribat, has affert causas *cum sis pietatis exemplum fratremque optimum et amantissimum tui pari caritate dilexeris filiamque eius ut tuam diligas nec tantum amitae ei adfectum verum etiam patris amissi repraesentes, non dubito maximo tibi gaudio fore, cum cognoveris dignam patre, dignam te, dignam avo evadere.* Unde simul hoc apparet Plinium ex quo Calpurniam in matrimonium duxit cum Hispulla non una fuisse sed nunc primum per epistolam cum ea de uxore agere. Quae si recte exposuimus, perspicuum est, epistolam libri quarti undevicesimam priorem esse eius libri prima, et has quidem duas epistolas non esse ex temporum ratione ordinatas.

Libri quinti epistolam octavam post epp. VI 2; 18; 23 V 8.
scriptam esse falso Petrus (p. 708) statuit. Etenim hac epistola Plinius Titinio Capitoni, qui historiam ut componeret auctor ei fuerat, ita rescribit se cum orationes antea habitas retractet, quominus exsequatur id quod suaserit amicus impediri. Itaque cum utrumque, et actiones rescribere et historiam componere nullo modo possit, interim se veniam advocandi petere. Sed ne omnino consilium Capitonis neglexisse videatur, ab eo petit ut iam nunc cogitet, de quibus maxime temporibus scribendum esse censeat (§ 12). Ex his Petrus collegit Plinium re vera historiam scripsisse, et cum ipse testetur, se non posse simul et actiones rescribere et historiam componere, hanc epistolam (V 8) censuit post eas ortam esse, quas supra dixi, in quibus Plinium etiam fungi advocandi officiis videamus.

Sed nobis in ep. V 8 nihil videtur inesse, ex quo satis probabiliter efficiatur Plinium id quod voluerit re vera instituisse: immo cum interim advocandi veniam petat, credas eum in actionibus non solum agendis verum etiam rescribendis perrexisse, ita ut ad historiam componendam aggressus non sit.

V 14. Ep. V 14, qua Plinius Pontio scribit sibi in municipio versanti nuntiatum esse Cornutum Tertullum viae Aemiliae curam accepisse, cum haec legantur § 8 *eram cum prosocero meo, eram cum amita uxoris, eram cum amicis diu desideratis* luce clarius est illud municipium (§ 1) esse Comum, Plinii et Fabati patriam. Amicos autem quos dicit Petrus (p. 708) eos esse putat qui a Domitiano relegati, a Nerva revocati sint: quam ob rem epistolam a. 105 vel 106 (cf. Mommsenum de libro quinto) scriptam esse negavit, quia credibile non esset, Plinium octo annis post Nervam mortuum (98—106) una fuisse cum amicis iam ab illo principe revocatis. Sed amicos, quibus Comi utebatur, quod a se *diu desideratos* dicit, non eam causam habet quam ille dicit. Ut enim ex verbis quae sunt ep. IV 1 *cupis post longum tempus neptem tuam meque una videre* manifestum est Plinium rarius in patriam excucurrisse, ita nunc desiderium eius agnoscimus quo tenetur, amicorum, quos diu non viderat, consuetudine rursus utendi.

V 15. Epistolam libri quinti decimam quintam ante epp. IV 3; 18 scriptam esse, dubito quam recte Petrus affirmaverit. Agitur his epistolis de graecis Arrii Antonini epigrammatis quae latine imitatus est Plinius. Atque primum ad Antoninum epistolam IV 3 dedit de eius epigrammatis, id quod affirmare licet vel iis quae leguntur § 3 *ita certe sum adfectus ipse, cum graeca epigrammata tua, cum iambos proxime legerem.* Ep. IV 18 autem cum Plinius eidem haec scribat *Quem ad modum magis approbare tibi possum, quantopere mirer epigrammata tua graeca, quam quod quaedam latine aemulari et exprimere temptavi?* colligitur Plinium tunc primum amico nuntiasse se epigrammata eius imitari. Cum his si contuleris quae ineunte ep. V 15 occurrunt *cum versus tuos aemulor, tum maxime quam sint boni experior* facile concedas hanc epistolam post ep. IV 18 ortam esse, quoniam ep. IV 18

primum amicum certiorem facere Plinius videtur, se versus eius imitari, contra ep. V 15 de hac imitatione loquitur ut de re illi iam nota. Hoc ordine (IV 3; 18. V 15) sese excepisse epistolas si recte statuimus, ep. V 15 monstratur Plinium in imitandis graecis amici epigrammatis perrexisse.

De ep. V 21 ita disputare licet, ut simul respiciamus V 21.
epistolam VIII 23. Etenim quoniam utraque epistola sermo est de morte Aviti cuiusdam, Asbachius (p. 47 sq.) inde profectus quod duas epistolas ad unum eundemque iuvenem a. 108 in testamento Dasumiani una cum Plinio et Tacito heredem constitutum rettulit, negavit epistolam libri quinti vicesimam primam ante a. 109 ortam esse. Ut diiudicetur, sitne re vera de uno Avito cogitandum, accuratius quae de utroque afferuntur inspicienda sunt. Videmus igitur utrumque studio dicendi flagrasse, officio quaesturae functum in primo iuventutis flore exstinctum esse. Deinde Plinius et huius et illius morte summo dolore affectus, quo tempore nuntius obitus ad eum venit, non fuit Romae. Ex altera parte quae quominus eandem personam intelligamus impediunt, haec sunt: de Iulio Avito ep. V 21,3 Plinius ita queritur *illud plane non triste solum verum etiam luctuosum, quod Iulius Avitus decessit, dum ex quaestura redit, decessit in nave, procul a fratre amantissimo, procul a matre, a sororibus.* In ep. VIII 23 nihil invenitur de dolore fratris et sororum, sed memorantur tantum grandis natu mater, uxor, filia. Quod vero Asbachius ex ep. VIII 23,8 *modo designatus aedilis, recens maritus, intactum honorem, orbam matrem, viduam uxorem, filiam pupillam ignaram patris reliquit* collegit uxorem et filiam cum Avito in nave fuisse, huic opinioni repugnat quod eadem ratione idem statuendum esset de matre: id quod ne statuamus dissuadent quae ep. V 21,3 leguntur *decessit in nave procul . . . a matre.* Deinde ep. VIII 23 recte intellecta fidem facit Plinium eum hoc Avito artiore familiaritatis vinculo coniunctum fuisse quam cum altero quem ep. V 21 memorat. Vel haec attendas (VIII 23, 2) *latum clavum in domo mea induerat: suffragio meo adiutus in petendis honoribus fuerat: ad hoc ita me diligebat, ita verebatur, ut me formatore morum,*

*me quasi magistro uteretur.* Hic igitur iuvenis cum Plinii quasi discipulus fuerit, tam artae consuetudinis in ep. V 21 nulla mentio. Itaque Mommsenum (p. 34) secuti duos Plinii amicos segregandos esse arbitramur.

Asbachio vero tantum abest ut epistolam (V 21) post a. 108 scriptam esse concedam, ut eam etiam ante ep. V 7 ortam esse affirmem. Cuius opinionis argumenta ex epp. V 7; I 8; I 16 petimus. Ep. V 7 Plinius cum Calvisio Rufo communicat Saturninum mortuum et se ipsum heredem reliquisse et praeceptionem quadringentorum milium rei publicae Comensi dedisse. Saturninum et ipsum Comensem fuisse ex § 2 apparet ubi haec *mihi autem defuncti voluntas . . . antiquior iure est, utique in eo quod ad communem patriam voluit pervenire.* Iam Pompeio Saturnino Plinius una cum ep. I 8 orationem mittit apud Comenses habitam, cum bibliothecam a se conditam dedicaret. Quam eandem orationem cum Plinius iam ante adnotandam miserit amico *(cf. § 2 petiturus sum enim ut rursus vaces sermoni, quem apud municipes meos habui bibliothecam dedicaturus)*, facile sentitur argumentum sermonis eius modi fuisse quod Saturninum quam maxime delectaret. Inde recte opinor Gierigius (Plinii epistolae Lips. 1806 ad h. l.) suspicatus est hunc Pompeium Saturninum fuisse Comensem. A quo non alienum esse eum, de cuius ingenio et scriptis Plinius epistolam I 16 Erucio dat, vel inde intelligitur quod ineunte epistola haec leguntur *amabam Pompeium Saturninum, hunc dico nostrum.* Sic enim 'nostrum' etsi Plinius Saturninum appellare poterat, quod eo amico utebatur, tamen probabilius est, quod hoc modo loquitur *hunc dico nostrum* popularem suum intellegi voluisse. Est enim ex more Plinii Comenses et omnino Transpadanos hoc modo appellare. Velut ep. VII 31,4 *a Corellio nostro*; I 14,4 *patria est ei Brixia ex illa nostra Italia*; ep. VI 34,1 *Veronensibus nostris.* Quare quoniam epistolis V 7; I 8; I 16 de Saturnino Comensi agitur, sic iudicabimus Saturninum, quem epistolae I 8 et 16 memorant, non alienum esse ab illo de cuius testamento ep. V 7 dicitur. Porro qui hoc, quod Saturninum Comensem historiam et carmina scribere ep. I 16 (§§ 4, 5, 6) testatur, contulerit

cum initio epistolae V 21 *varie me affecerunt litterae tuae. Nam partim laeta partim tristia continebant: laeta quod . . . praeterea quod recitaturum statim ut venissem pollicebantur*, non dubitabit cum Mommseno (index nominum p. 422) quae de carminibus Saturnini ep. I 16 dixit Plinius quaeque ep. V 21 Saturnino data de eius recitatione memoravit, ad unum hominem referre. Sed quam recte Mommsenus (ibidem p. 425) Saturninum Comensem (ep. V 7) a Pompeio Saturnino (epp. I 8; 16; V 21) discreverit, licebit dubitare. Cum enim ex altera parte intellexerimus et qui carmina fecit Saturninus (I 16) et qui recitaturus est (V 21) eundem Plinii amicum esse, ex altera autem parte et in ep. I 16 et in ep. V 7 agatur de Saturnino Comensi, probabile est illum, cuius testamentum ep. V 7 memoratur, non secernendum esse ab eo Saturnino cui data est ep. V 21. Quodsi inde necessario efficitur epistolam libri quinti vicesimam primam priorem esse ep. V 7, simul apparet, in ordinandis his epistolis Plinium non secutum esse temporis ordinem.

Iam quamquam de epistolis ita agere mihi proposui, ut suae quamque disputationis parti attribuerem, tamen hoc fieri nequit in recensendis epistolis VI 11; 26; 29. VII 9; 24, in quibus argumentum tractatur, quod ad eosdem homines pertinet. In ep. VI 29, qua Plinius Ummidium Quadratum docet quae causae sint suscipiendae, cum ita dicat (§ 3) *hos terminos quia me consuluisti dignitati ac verecundiae tuae statuo* intelligitur illum iuvenem hoc ut se doceret a Plinio petivisse. Quadratum autem nondum in iudicio egisse inde colligas quod Plinius summam eorum quae admonet facit hanc (§ 6) *proinde multum lege scribe meditare, ut possis, cum voles, dicere; dices, cum velle debebis.* Simili modo Plinius ep. VII 9 Fusco Salinatori consulenti praecepta dat, quem ad modum in secessu eum studere oporteat. Cui iuveni, quamquam hoc tempore praecipuum studium orandi est, tamen non semper pugnacem et quasi bellatorium stilum suaserit (§ 7). Quoniam vero in oratione quoque non ita raro opus sit descriptione, quae maxime deceat poetam, auctor est ut interdum versibus componendis animum intendat. Quod eo magis

VI 11; 26; 29. VII 9; 24.

utile esse, quia carmina recipiant omnia quaecumque in vita atque adeo in foro causisque versentur (§ 13). Inde si recte concludimus Plinium, cum sic instituerat Fuscum, hoc curasse, ut is bonus orator evaderet, improbabile est illum iuvenem iam in publico dixisse. Ep. VI 11 Plinius Maximo nuntiat se in consilium a praefecto urbis adhibitum ex diverso agentes Fuscum Salinatorem et Ummidium Quadratum summa cum voluptate audivisse. Quodsi reminiscimur Plinium epistolis VI 29 et VII 9 his iuvenibus praecepta dedisse, quo modo ad bene dicendum progredi possint, cum magna probabilitate statuimus duas illas epistolas ante ep. VI 11 scriptas esse. In qua cum ita loquatur Plinius (§ 2) *quae singula mihi voluptati fuerunt atque inter haec illud, quod et ipsi me ut rectorem, ut magistrum intuebantur et iis qui audiebant me aemulari, meis instare vestigiis videbantur* quasi gloriantem eum agnoscere videmur: 'ecce discipulos ex mea schola profectos'. Ante eandem epistolam (VI 11) ortam esse epistolam libri sexti vicesimam sextam eo indicari videtur, quod Plinius cum Fuscum studiosum, litteratum, etiam disertum dicat, tamen eum praeclare in publico dixisse silentio praeteriit. Idem cadit in epistolam VII 24 qua Quadrati laudes extolluntur, nulla mentione facta eorum de quibus ep. VI 11 sermo est. Qua in epistola vel haec (§ 9) *implebit enim illam* (domum) *Quadratus meus et decebit rursusque ei pristinam dignitatem celebritatem gloriam reddet, cum tantus orator inde p r o c e d e t quantus iuris ille consultus* scripta esse apparet antequam Quadratus orandi causa in publicum prodierit.

VI 22. Ep. VI 22 Plinius Tironi qui provinciam quandam sortitus est nuntiat aliquid quod scire omnibus qui sint provinciis praefuturi utile sit. Iam cum Petrus (p. 709) Tironem illam de qua agitur provinciam a. 99/100 administrasse arbitratus sit, hanc epistolam et ceteras quibus eiusdem Tironis mentio fit (ep. VII 16; 23; 32. IX 5) iis attribuit quas Plinius in prioribus libris edendis neglexerit. Quod falso statui quoniam ex una epistola VI 22 demonstrari nequit, necesse est huc redeamus in tertia disputationis parte.

Altera commentationis parte quae disputando effecimus ut amplectamur, ordo temporum neglectus videtur in his epistolis ordinandis:

ep. III 1 de Spurinna in secessu vitam agente, anno fortasse 110 vindicanda;

ep. III 4 de Caecilii Classici causa a. 98 suscepta;

ep. III 10 de libro a Plinio ad Cottii honorem composito;

ep. IV 19 (de Calpurniae virtutibus) ante ep. IV 1 orta;

ep. V 21 (de morte Iulii Aviti) ante ep. V 7 (de testamento Saturnini) conscripta;

denique epp. VI 26 et 29 (ad Fuscum Salinatorem et Ummidium Quadratum datae) quae ante ep. VI 11 (de iisdem iuvenibus in iudicio agentibus) sunt compositae.

Huc non pertinent epp. III 9 de Classici causa; IV 11 de Liciniano rhetore; IV 15 ad Fundanum missa; V 8 qua Plinius exponit, cur non scribat historiam; V 14 de itinere in patriam; V 15 de Arrii Antonini versibus; VI 22 de Tirone provinciam sortito.

---

## Pars III.

Itaque ad tertiam dissertationis partem perventum est, VII 4.
in qua ordimur ab epp. VII 4; IX 34. In quibus ordinandis IX 34.
tempora non respecta esse Petrus (p 703) mihi persuasit. Quae ratio ut stabiliatur, primum agendum est de ep. IV 14. Una cum hac epistola Plinius Paterno mittit versus suos quibus se inter cenam oblectare otium solere dicit. Simul sui expurgandi causa affert exempla summorum virorum qui talia scripserint. Quodque addit se versibus inscribere velle 'hendecasyllabi' proditur in eo esse, ut hendecasyllabos in vulgus edat. Sequitur ep. IV 19 ubi Plinius Calpurniae Hispullae enarrans quantis gaudiis cotidie ex tertio matrimonio fruatur, signum amoris illud quoque affert, quod uxor versus suos cantet etiam, formetque cithara. Qui versus num sint hendecasyllabi nequit disceptari; neque certius quicquam efficitur ex ep. IV 27 qua Plinius laudibus effert Sentii Au-

gurini poemata, quibus ille ipsum versibus ludentem laudaverat. Alia ratio est epistolae V 3, qua Plinius ut se defendat contra eos, qui versiculos eum scripsisse et recitasse reprehenderunt, cum alias causas tum rursus eam affert, de qua in ep. IV 14 verba fecerat. In illa quae scripta sunt (V 3,3) *nec vero moleste fero hanc esse de moribus meis existimationem, ut qui nesciunt talia doctissimos gravissimos sanctissimos homines scriptitasse me scribere mirentur*, cum plane cum illis conspirent quae in ep. IV 14,4 leguntur *ex quibus tamen si non nulla tibi petulantiora paulo videbuntur, erit eruditionis tuae cogitare summos illos et gravissimos viros, qui talia scripserunt, non modo lascivia rerum, sed ne verbis quidem nudis abstinuisse*, statuimus Plinium et ep. IV 14 et ep. V 3 eosdem versus hendecasyllabos in mente habuisse. Quod si attendimus neque negligimus quae ep. V 10 Suetonio scripta sunt *libera tandem hendecasyllaborum meorum fidem, qui scripta tua communibus amicis spoponderunt*, illo temporis spatio quod inter librum quartum et quintum intercedit, hoc est si Mommsenum sequimur annis 102—105, Plinius putandus est hendecasyllabos edidisse. Iam ep. VII 4 Plinio est cum Pontio amico, qui hominem severum hendecasyllabos scribere rem esse vituperabilem putavit. Tales lusus ut excuset, cum numquam se a poetice alienum fuisse dicat, hendecasyllabis nunc primum se expertum esse Plinius addit. In quibus recte opinor Petrus argumentum inesse statuit, quo hanc epistolam (VII 4) priore anno quam a. 107 (cf. Mommsenum) ortam esse evincatur. Cui opinioni favet hoc quod credibile non est, Pontium a. demum 107 legisse Plinii hendecasyllabos iam annis 102—105 editos. Ac si reputamus ep. V 3 agi de compluribus hominibus, qui reprehenderint illa carmina, hanc epistolam (VII 4), qua de uno Pontio Plinium vituperante sermo est, eodem fere tempore cum ep. V 3 ortam esse censebimus.

VIII 21. In eo autem dissentio a Petro, quod epistolam libri octavi vicesimam primam, qua Plinius carminum librum, quem brevi se Arriano missurum esse profitetur, *musteum* id est 'modo natum' appellavit, compluribus annis ante a. 108 natam

esse arbitratus est. Etenim quod pro probato sumpsit, hac epistola rursus de hendecasyllabis agi, ei verba Plinii obstant qui ep. IV 14 scribit se cogitare nugas suas 'hendecasyllabi' inscribere, 'qui titulus sola metri lege constringatur', ep. VIII 21 autem librum illum recentem 'et opusculis et metris varium' significat.

Contra Petrus inde quod Plinius in ep. IX 34 (id est IX 34.
4—6 annis post quam hendecasyllabos publicavit — nam Mommsenus librum IX. a. 109 attribuit, illi autem versus annis 102—105 nobis editi visi sunt —) *novum poetam* se appellavit, recte collegit hanc epistolam prioris anni esse (quam 109), quo tempore rectius illud de se profiteri potuerit. Ne illud quidem potest dubitari, quin ep. IX 34, qua Plinius versus suos recitaturus consulit Tranquillum, utrum ipse hoc faciat an per libertum et, si hoc, quid ipse illo legente agat, ante ep. VIII 1 scripta sit, qua de Encolpii lectoris aegritudine verba facit. Qui si iam ante versus legerat, Plinius non nesciebat quid illo legente ageret.

Sequuntur epp. VII 7; (8.) 15. IX 38 Saturnino datae. VII 7; 8; 15.
Atque epistolae libri septimi cum de familiaritate, quae inter- IX 38.
cedit inter Saturninum (Comensem. cf. ep. VII 8 *Saturninus noster*) et Priscum, nos faciant certiores, ep. IX 38 item Saturnino data Plinius laudat librum Rufi cuiusdam, quem ei commendaverat amicus. Rufus ille qui fuerit nequit diiudicari, quoniam complures Rufi in epistolis memorantur. Qui vero quae supra (p. 28 sq.) de Pompeio Saturnino protuli, cum cura persecutus erit, non sine fide videbitur statuere illas epistolas quae sunt VII 7; 8; 15. IX 38 ante ep. V 7 (de testamento Saturnini) ortas esse. Itaque adiungendae sunt illis epistolis quas initio neglectas postea requisivit Plinius. Idem ut statuamus suadent ea quae scribit ep. VII 15, 1 *requiris, quid agam? quae nosti: distringor officio, amicis deservio*, quae collata cum ep. I 10,9, ubi haec *distringor officio ut maximo sic molestissimo*, scripta esse apparet eo tempore quo Plinius praefectura aerarii Saturni fungebatur, annis 98—101. Quod si quid veri de ep. VII 15 effecimus, idem necesse est statuatur de tempore quo epp. VII 7 et 8 ortae sunt.

VII 9 et 24. Epistolas libri septimi nonam et vicesimam quartam non eo ordine quo scriptae sunt epistolis insertas esse, iam in altera disputationis parte (p. 29) demonstrare conatus sum. Atque epistolam libri septimi nonam iam annis 102—105 natam esse Gierigius (in adn. ad h. l.) aliam ille quidem ratiocinationem secutus existimavit. Meminerimus Plinium Fusci instituendi causa hac epistola amico praecepta dare, quae maximam partem ad scribendi exercitationem pertinent. Iam ad haec quae scribit § 9 *fas est et carmine remitti, non dico continuo et longo (id enim perfici nisi in otio non potest), sed hoc arguto et brevi, quod apte quantaslibet occupationes curasque distinguit. Lusus vocantur; sed hi lusus non minorem interdum gloriam quam seria consequuntur*, Gierigius recte adnotavit (tom. II p. 139) 'hanc epistolam scripsit haud dubie quo tempore ipse et oblectationis et gloriae causa hendecasyllabis operam dabat'. Quoniam vero cognitum habemus Plinium illis versibus componendis operam dedisse, quo tempore librum quartum scripserit i. e. annis 102—105, iis temporibus hanc quoque de qua agitur epistolam in lucem prodiisse affirmamus.

VII 16; 23; 32. IX 5. Dicendum est nunc de epistolis, quibus sermo est de Calestrio Tirone VII 16; 23; 32. IX 5. Quas cum Petrus (p. 709) anno 99/100 attribuerit, nos eas accuratius interpretati conabimur probare non esse nisi post a. 100 compositas. Igitur ep. VI 22 Tironem vidimus provinciam quandam sortitum esse, ep. VII 16 Fabato data eam provinciam esse Baeticam (cf. § 3 *hic nunc pro consule provinciam Baeticam per Ticinum est petiturus*). Qua epistola cum Plinius, se Tironem adducere velle ut per Ticinum profecturus ex itinere ad Fabatum deflectat, uxoris avo promittat, ex ep. VII 23 rursus Fabato missa colligimus, hunc interim Plinio scripsisse, se Mediolani Tironi occurrere velle. Plinius vero cum prosocerum ne suscipiat tantum laboris contra rationem aetatis his verbis roget *etenim cum a me ut frater diligatur, non debet ab eo, quem ego parentis loco observo, exigere officium quod parenti suo remisisset,* haec a. 99/100 scripta minime accommodata esse, ea res probat quod Plinium qui Calpurniam,

Fabati neptem, in matrimonium duxit, annis ut videtur 101, 102, ab illo demum tempore veri simile est in interiorem familiaritatem Fabati venisse. Accedit quod Plinius inde a quarto demum libro Fabati mentionem facit, et quidem ita ut summam inter eos amicitiam intercedere intelligatur. Huc pertinent epp. IV 1; V 11; VI 30, maxime autem VI 12 ubi haec (inde a § 3) *ex illis* (epistolis) *enim vel praecipue sentio, quanto opere me diligas, cum sic exegeris mecum ut solebas cum tuo filio.* Quae si quis contulerit cum iis quae ex ep. VII 23 memoravi, fateatur necesse est, tantam orationis similitudinem his locis exstare, ut ex iisdem fere temporibus epistolae VI 12 et VII 23 fluxisse videantur. Itaque cum maiore probabilitate epistolam VII 23 Mommseni rationem secuti anno 107 quam cui voluit Petrus anno 99 adscribemus. Non aliter iudicandum est de epp. VII 32 et IX 5, quarum ex altera Tironem apud Fabatum fuisse effecimus, altera eum iam per longius temporis spatium provinciam administrasse monstratur. Hanc quam iniimus de harum epistolarum temporibus sententiam ut relinquamus, ne iis quidem movemur quae Petrus de provinciis praetorianis disseruit. Quae provinciae quarum Baetica fuit, cum quinquennio post praeturam administrari solerent, Petrus collegit, Tironem a. 93 una cum Plinio praetoris munere functum (cf. ep. VII 16, 2) a. 98 sortitum esse provinciam. Ut enim omittamus nos de his provinciis non multum compertum habere (cf. Momms. Röm. St. 1887. II 1, p. 251), in nostro argumento ex epp. VI 12 et VII 23 allato maiorem persuadendi vim inesse putamus quam si quis rebus extrinsecus petitis opinionem stabilire studeat.

Epistolam libri septimi decimam septimam ante ep. III 18 ortam esse Petrus (p. 709 sq.) mihi non persuasit. Vir doctus in eo offendit quod Plinius, cum ep. II 19 etiam addubitet, num amicis orationem recitet, et ep. III 18 orationis recitatae mentionem faciat nulla voce de rei novitate addita, ep. VII 17 morem suum recitandi copiose et tamquam novum sit defendit. Petrus igitur nisi me fallit opinio ita existimat, hanc epistolam (VII 17) scriptam esse quo tempore Plinius VII 17.

orationes recitare coeperit. Quod in epistolam cadere tantum abest ut concedam, ut in contrariam partem ex iis quae § 14 legantur iudicium petam. Plinio enim tunc temporis iam in usu fuisse orationes recitare, fidem faciunt verba haec *proinde non poenitet me consuetudinis meae* (sc. recitandi), *quam utilissimam experior.* Sed ne haereas in eo quod Plinius causas recitandi exposuerit, quo tempore iam saepius hunc morem secutus sit, verba quae sunt § 2 *miror quod scribis fuisse quosdam qui reprehenderent quod orationes omnino recitarem* documento sunt Plinium eo ipso tempore quo a Celere amico de illis sermunculis certior factus sit, occasionem captasse morem saepe ante probatum copiosius defendendi.

VII 31. Epistola VII 31 cum Plinius Claudii Pollionis, ut commendet Cornuto, virtutes et merita usque ad Nervae tantum tempora enumeret, quod iam recte monuit Petrus non longe postquam ille princeps vita decessit i. e. post a. 98 orta esse videtur.

VIII 10; 11; 16; 19. Quae Plinius scripsit de Calpurniae uxoris abortu ep. VIII 10, 2 *debes agere dis gratias, quod ita tibi in praesentia pronepotes negaverunt, ut servarent neptem*, et insequentis epistolae § 2 *Iam hilaris iam sibi iam mihi reddita incipit refici transmissumque discrimen convalescendo metiri* orta esse indicant, cum uxor periculo defuncta iam convalescebat. Quarum epistolarum temporibus adiungendas esse eiusdem libri undevicesimam et decimam sextam mihi concedes, si quae ep. 19, 1 inveniuntur *et infirmitate uxoris et meorum periculo, quorundam vero etiam morte turbatus* contuleris cum verbis quae sunt ep. 16, 1 *confecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam, et quidem iuvenum.* Ad eandem uxoris aegritudinem si recte referuntur quae Plinius illi ep. VI 4 scribit *numquam sum magis de occupationibus meis questus, quae me non sunt passae aut proficiscentem te valetudinis causa in Campaniam prosequi aut profectam e vestigio subsequi. Nunc enim praecipue simul esse cupiebam ut oculis meis crederem, quid viribus quid corpusculo apparares* censebimus, quoniam alia quoque aegritudine Calpurniam aegrotasse non compertum

habemus, eam ex abortu convalescentem in Campaniam esse profectam. Quod si recte statuitur epistolae libri octavi quas attuli, quoniam brevi post abortum ab uxore factum compositae esse videntur, ante ep. VI 4 scriptae sunt, quippe in qua Calpurniae iam ita refectae mentio fiat, ut iter illud iam non reformidaret.

De ep. VIII 12 disputationem ut ab ep. I 17 incipiam, VIII 12.
Plinius hac laudibus effert Titinium Capitonem qui ab imperatore, ut in foro poneret L. Silani statuam, impetravit. Cui Capitoni omnino in usu esse claros viros colere ex his verbis apparet quae § 3 leguntur *mirum est qua religione, quo studio imagines Brutorum, Cassiorum, Catonum domi, ubi potest, habeat. Idem clarissimi cuiusque vitam egregiis carminibus exornat.* Eundem recitaturum se audire debere cum Plinius in ep. VIII 12 his verbis scribat *hunc solum diem excuso: recitaturus est Titinius Capito quem ego audire nescio magis debeam an cupiam*, et deinceps (§ 4) *quodsi illi nullam vicem, nulla quasi mutua officia deberem* . . . non vanam esse opinionem concedes, cum Plinio tunc primum occasionem amici audiendi datam esse statuimus. Cum vero hunc, quem iam a. 97 carmina composuisse epistola I 17 fidem facit, credibile non sit anno demum 108 vel 109 (cui tempori Mommsenus librum octavum vindicavit) a Plinio petivisse ut se recitantem audiat, in collocanda ep. VIII 12 compositionis tempus neglectum est. Omnino quoniam probabile est, Capitonem ab istis de viris illustribus carminibus (I 17, 3) non multo post progressum esse ad vitam eorum componendam (cf. VIII 12, 4 *scribit exitus illustrium virorum)*, ep. VIII 12 excepisse videtur alteram I 17 brevi tantum temporis spatio interiecto.

Ep. IV 27 Plinium Pompeio Falconi scribere, se cum IX 8.
summa voluptate audisse Sentium Augurinum poemata recitantem, quibus ipsum Plinium laudibus exornaverat, si attendimus, credibile non est eum ep. IX 8, siquidem Mommseni de libris constituta sequimur tempora, quattuor vel quinque annis interiectis gratias egisse Augurino. Immo cum hac epistola ita enarrare incipiat *si laudatus a te laudare te*

*coepero, vereor ne non tam proferre iudicium meum quam referre gratiam videar* ex his si recte concludimus Plinium hac epistola primum sibi sumpsisse occasionem Augurini poemata laudandi, manifestum est, eum has duas epistolas non ex temporum ratione ordinasse. Quam si respicere voluisset epistolam libri noni octavam quinti potius epistolis eum inserturum fuisse crederes. Nam Plinium statim postquam versus illos de se compositos inspexerit, amico gratias egisse probabile fit epistola IX 31 recte perspecta, ubi de eadem causa Sardo laudem pariter et gratias egit.

IX 10. Ep. I 6 quoniam Plinius se meditantem et scribentem tres apros cepisse cum Tacito ita communicat, ut simul hoc praeclarum studendi genus ei commendet his verbis *proinde cum venabere, licebit auctore me ut panarium et laguncualam, sic etiam pugillares feras: experieris non Dianam magis montibus quam Minervam inerrare*, non possumus non mirari quod idem ep. IX 10 praecepta, quae ipse dederat amico, se ab illo accepisse dicens in hunc modum loquitur: *cupio praeceptis tuis parere. Sed aprorum tanta penuria est, ut Minervae et Dianae, quas ais pariter colendas, convenire non possit.* In qua re quod mirum est evanescit si hunc fere connexum inter has duas epistolas statuas: postquam Plinius se illo venandi genere tres apros cepisse Tacito nuntiavit, fortasse hic statim rescripsit epistolam, qua et ipse amicum ut saepius ista ratione venando operam daret talibus fere verbis hortabatur 'quoniam tibi contigit, ut hoc studendi genere tres apros ceperis, saepius in eum modum studeas: illud quidem notum est Minervam et Dianam pariter esse colendas.' Quod si statuimus, iam non miramur cur Plinius ita responderit *cupio praeceptis tuis parere. Sed aprorum tanta penuria est, ut Minervae et Dianae, quas ais pariter colendas, convenire non possit.* Nisi fallor noluit rescribere '*quas aiebam pariter colendas*', quia hoc praecepto Tacito auctori data eo facilius ipsum consilium renuere poterat. Porro si attendas venustatem atque suavitatem, quae ex unoquoque paene epistolae I 6 verbo elucet, Plinium illud iocandi causa amico suasisse concedas. Quod postquam hic

in serium convertit, Plinius facile rem ita narrare poterat, tamquam Tacitus auctor fuerit illius praecepti quod est de Minerva et Diana pariter colendis. Quae si probabiliter disputata sunt, epistola IX 10 brevi post excepisse videtur epistolam I 6, id est et ipsa a. 96 vel 97 scripta.

Deinde ut quod nostrae opinioni faveat addamus, quae leguntur ep. IX 10, 2 *itaque poemata quiescunt quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas* originem duxisse videntur ex Taciti libro cui inscribitur 'Dialogus de oratoribus' ubi haec exeunte capite nono *adiice quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint . . . in nemora et lucos, i. e. in solitudinem secedendum est.* Qui libellus cum annis fere 93—96 editus videatur, mihi concedas verba Pliniana facilius intelligi, si mecum epistolam IX 10 anno 97 tribuas, quam si cum Mommseno anno 109/110 vindices.

Denique ne haec quidem (IX 10, 2) *itaque Minervae tantum serviendum est* quibus verbis Plinius se significat studium venandi omnino negligere, conspirant cum iis quae ep. IX 36, 6 ita leguntur *venor aliquando, sed non sine pugillaribus, ut quamvis nihil ceperim non nihil referam.* Itaque cum id quod hac epistola profitetur, scilicet se et Minervae et Dianae servire, ep. IX 10 abnuat, has duas epistolas variis temporibus ortas esse luce clarius est.

Epistola VII 20 Tacito data Plinius inde exorsus, quod IX 14.
sibi summae laetitiae esse dicit ambos se libros emendandos invicem mittere solere, virtutes amici ita extollit: *equidem adulescentulus cum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi 'longo sed proximus intervallo' et esse et haberi concupiscebam. Et erant multa clarissima ingenia; sed tu mihi . . . maxime imitabilis, maxime imitandus videbaris.* Qua epistola accepta Tacitum statim respondisse se non dignum esse qui talibus laudibus exornetur, fidem faciunt quae ineunte ep. IX 14 leguntur. *Nec ipse tibi plaudis, et ego nihil magis ex fide quam de te scribo.* Inde si colligas has duas epistolas parvo tantum intervallo inter se discretas esse, haec suspicio accurata verborum interpretatione stabilitur. Etenim cum Plinius his quae sunt VII 20, 2 *quam me delectat quod, siqua*

*posteris cura nostri, usquequaque narrabitur, qua concordia, simplicitate, fide vixerimus* indicare videatur se de cura posterorum minime dubitare — interpretamur enim verba *siqua posteris cura* nostro *so wahr die Nachwelt sich um uns kümmert* quibus conferri possunt illa Horatiana quae leguntur in carmine Saeculari *Romae si vestrum est opus* —, idem de eadem re minus fidenter loquatur ep. IX 14, ubi haec *posteris an aliqua cura nostri nescio*, certissimum videtur Tacitum epistola sua quanta sit cura posterorum dubitantius iudicasse. Itaque quoniam credibile non est tres annos inter has duas epistolas interiectos esse (id quod ex Mommseni computatione efficitur) ne epistolam IX 14 quidem Plinius ex temporum ordine inseruit epistolis.

IX 22. Ex ep. VI 15 anno 106 vel 107 (secundum Mommseni rationem) scripta cum discamus Passennum Paulum splendidum equitem Romanum elegos scribere, fortasse in ea re subit mirari, quod Plinius ep. IX 22 i. e. tribus vel quattuor annis post de elegis eiusdem Pauli ad Severum amicum ita scribat (§ 2) *si elegos eius in manus sumpseris, leges opus tersum molle iucundum et plane in Propertii domo scriptum.* Qua de causa ep. IX 22, cum eam non multo post ep. VI 15 scriptam esse inde concludas, quod Plinius in ea certum ponat Severum adhuc nondum elegos istos in manus sumpsisse, si temporum rationem respicias, non intelligas cur hodie reperiatur in nono, non ut exspectes in septimo libro.

IX 23. Quae Plinius in ep. VII 20 Tacito scripsit (§ 5) *quo magis gaudeo quod siquis de studiis sermo una nominamur, quod de te loquentibus statim occurro* plane vera cecidisse ex ep. IX 23 apparet qua Maximo nuntiat se modo ex sermone Taciti magnam cepisse voluptatem, a quo cum circensibus eques Romanus quaesisset 'Italicus es an provincialis' et responsum accepisset 'nosti me, et quidem ex studiis', equitem interrogasse 'Tacitus es an Plinius'? Quem orationis tenorem qui non obiter temptaverit, non poterit non statuere epistolam libri noni vicesimam tertiam si non ante ep. VII 20, at certe eodem fere tempore cum ea ortam esse.

Ep. II 5 Plinius cum a Luperco, cui partem actionis IX 26.
cuiusdam recensendam missurus est, ut isto officio clementer fungatur, his verbis petat (§ 5) *sunt enim quaedam adulescentium auribus danda, praesertim si materia non refragetur. Nam descriptiones locorum, quae in hoc libro frequentiores erunt, non historice tantum sed prope poetice prosequi fas est*, vereri videtur, ne Lupercus quae nimis altiora vel laetiora (§ 6) dicta sint vituperet. Quem in scriptis amici quaedam reprehendisse epistola IX 26 documento est qua Plinius oratorum audax et grande dicendi genus defendit. Hic cum ita pergat narrare (§ 5) *quia haec? quia visus es mihi in scriptis meis adnotasse quaedam ut tumida, quae ego sublimia, ut improba, quae ego audentia, ut nimia, quae ego plena arbitrabar*, facile intelligas Lupercum in ipsa illa actionis parte pariter cum ep. II 5 ei missa ea adnotasse nimis audentia quae se 'prope poetice' prosecutum esse Plinius (II 5, 5) professus est. Quod eo magis licet affirmare quia Plinius in ep. IX 26 ex Demosthenis imprimis scriptis satis multa attulit exempla, quibus ille poetarum granditate atque audacia usus sit. Harum duarum epistolarum cohaerentiam si recte evolverimus, perspicuum fit epistolam libri noni vicesimam sextam brevi post ep. II 5 compositam esse. Attamen si quis dubitet, quam recte eandem actionis partem in duabus epistolis intelligam fortasse hoc mihi ille concedet, et illa et hac de eadem actione agi. Atque qui attenderit verba quae sunt ep. II 5, 9 *si modo tu curam tuam admoveris interim istis, mox iis quae sequuntur*, quibus Plinius indicatur postea quoque actionis partem amico recensendam misisse, certe negabit epistolam libri noni vicesimam sextam a. 109 vel 110 scriptam esse i. e. 10—13 annis post ep. II 5.

Restat ut quae hac disputationis parte effecimus uno conspectu proponamus. Plinius igitur si mecum facis temporum rationem non habuit in his epistolis ordinandis:

VII 4 de hendecasyllabis suis;

VII 7; 8; 15 de Saturnini et Prisci amicitia;

VII 9 Fusco data, quem ad modum in secessu eum studere oporteat;

VII 24 de moribus Quadrati;
VII 31 de Claudii Pollionis virtutibus;
VIII 10; 11; 16; 19 de aegritudine Calpurniae;
VIII 12 de Titinio Capitone;
IX 8 de Sentio Augurino;
IX 10 de duplici genere venandi;
IX 14 de Tacito a Plinio laudibus exornato;
IX 22 de Passenni Pauli elegis;
IX 23 de sermone a Tacito accepto;
IX 26 de oratione Plinii a Luperco reprehensa;
IX 34 de Plinio versus male legente;
IX 38 Saturnino de libro Rufi scripta.

Quibus epistolis non adiungendae sunt:
VII 17 de rationibus recitandi;
VII 16; 23; 32. IX 5 de Calestrio Tirone;
VIII 21 de Plinii libro et opusculis vario et metris.

# VITA.

Maximilianus Schultz natus sum die VI. mensis Ianuarii a. h. s. LXXIV Berolini patre Oscaro, matre Ioanna, e gente Rothenstein, quos parentes adhuc esse superstites ex animo gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum primordiis imbutus per novem annos adii gymnasium regium Fridericum Guilelmum Berolinense, quod Hermanni Kernii, mox Noeteli auspiciis florebat.

Maturitatis testimonium vere a. XCIII assecutus civibus academicis litterarum Universitatis Berolinensis adscriptus sum. Per duodecies sex menses studiis philologicis operam dedi. Docuerunt me viri doctissimi: Bastian, Breysig, Curtius †, Delbrueck, Dessau, Deutsch, Diels, Dilthey, Froehde, Harnack, Hirschfeld, Huebner, Kaftan, Kirchhoff, Kuebler, Lasson, Lenz, Lommatzsch †, Paulsen, Scheffer-Boichorst, Strack, Vahlen.

Praeterea seminarii regii philologici, quod Kirchhoffius et Vahlenus moderantur, per novies sex menses sodalis fui ordinarius idemque senior per quinquies sex menses.

Viris illustrissimis qui me docuerunt gratias ago omnibus, candidissimas vero cum Kirchhoffio tum Vahleno, qui semper in me erat singulari benevolentia.

Societatis academicae philologicae sodalis sum inde ab autumno a. XCIII.

# SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Dziatzko et Fleckeisenus falso negant in Terentii comoediis particulas *aut*, *et*, *ut* in fine versuum positas inveniri.

2. In Terentii Adelphon v. 117

*obsonat, potat, olet unguenta: de meo*

Schoellius (Mus. Rhen. XXXXIV 280 sq.) et Fleckeisenus (in altera editione) cum Varrone teste usi *scortatur, potat, olet unguenta* scribunt, qua re coguntur versus 118, 119 delere, quam facile grammaticus ille errare potuerit non vident.

3. Quae Reitzensteinius (Drei Vermutungen zur Geschichte der Röm. Litteratur. Marburg 1893) ex Dirarum v. 8

*montibus et silvis dicam tua facta, Lycurge,*
*impia* —

profectus de illo carmine pro invectiva in Octavianum habendo disseruit, recte refutavit O. Ribbeckius (Mus. Rhen. L 558 sqq.).

4. In eiusdem carminis v. 35 sq.

*Iuppiter, ipse*
*Iuppiter hanc aluit: cinis haec tibi fiat oportet*

*tibi*, quo pronomine poeta ad ipsum Iovem se convertit, recte traditur: Hauptius scribendum proposuit *Iove*, Ribbeckius *ibi*.

5. In Horatii versibus qui sunt sat. II 5, 45 sqq.

*Si cui praeterea validus male filius in re*
*praeclara sublatus aletur, ne manifestum*
*caelibis obsequium nudet te, leniter in spem*
*adrepe officiosus* —

*nudet* non quod voluit Kiesslingius *privet* significat, sed quod iam interpretatus est Acro *prodat, ostendat captatorem hereditatum.*

6. *Requiem* quid sibi velit Hor. epist. I 7, 79

*et sibi dum requiem, dum risus undique quaerit*

interpretes non recte explicare videntur.

7. Quae Creon de Eteocle cives facere iussit, in Sophoclis Antigonae v. 196 sq. (ed. Nauck)

τάφῳ τε κρύψαι καὶ τὰ πάντ' ἐφαγνίσαι
ἃ τοῖς ἀρίστοις ἔρχεται κάτω νεκροῖς

in iis κάτω ad νεκροῖς non ad ἔρχεται referendum est.

8. In eiusdem tragoediae v. 648

μή νύν ποτ', ὦ παῖ, τὰς φρένας ὑφ' ἡδονῆς
γυναικὸς εἵνεκ' ἐκβάλῃς —

Nauckius iniuria verba ὑφ' ἡδονῆς vitiosa habuit: Triclinius recte emendasse videtur τὰς φρένας γ' ὑφ' ἡδονῆς.

9. Idem Nauckius cum Aiacis vv. 289—291

Αἴας; τί τήνδ' ἄκλητος οὔθ' ὑπ 'ἀγγέλων
κληθεὶς ἀφορμᾷς πεῖραν οὔτε του κλύων
σάλπιγγος; ἀλλὰ νῦν γε πᾶς εὕδει στρατός

graviter laborasse statuit, ex istis tribus versibus hos duos

Αἴας, τί τήνδε πεῖραν οὔθ' ὑπ' ἀγγέλων
κληθεὶς ἀφορμᾷς οὔτε σάλπιγγος κλύων;

restituendos esse falso opinatus est.

Druck von Carl Salewski in Berlin C.,
Neue Friedrichstrasse 44.